





1732.

1. Bergen, Joh. Georgius, a: De inversione uteri.
2. Graeven, Christianus Fridericus: De divortio propter inimicitias graves.
- 3^{ae} Heinricus, Fr. Frill.: De eminentioribus Ducatus Saxoniae Saxe-Lutheranicae prerogativis. 2 Saupl. 1732, 1733
- 4^a, 6^{ae} Hoffmannus, Janus Wilhelmus: De jure emigrantium propter religionem. 3 Saupl. 1732, 1733, 1740

1733.

1^{ae} Hoffmannus, Christianus Prosperus: Divergentiae juridicae in reg., qua Constitutio Joachimi I Electoris de successione a 1527. lata notis illustratur. 2 Saupl. 1733 + 1761.

2 Hoffmannus, Christianus Prosperus: Magni --- Legislatoris in Friderico Wilhelmo rege exemplum occasione Divergentiae in reg. ad Constitutionem Joachimi I de successione a Franc. Samuele Hegero. --- habendae --- Contemplatur

1733.

3^o ^{n. 6} Hoffmannus, Iuanes Guilielmus: Singularia capita
ex historia triuicivitates ad illustrandum jus Rom-
norum publicum et privatum petita.

te
na

11

11

11

11



Faint, illegible handwriting, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



~~E. 28. Brum. 29.~~

1732, 2

2 /

DE
DIVORTIO
PROPTER INIMI-
CITIAS GRA-
VIORES

EX GENUINIS JURIS PRINCIPIIS
BREVITER DISSERTIT

CHRISTIANUS FRIDERICUS GRÆVEN, D.
POTENT. PRUSS. REGI A CONSILIIS AUL. ET
JUR. PUBL. PROF. EXTRAORD.

P. 403.



FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Impensis JEREMIÆ SCHREY, Bibliop.
1 7 3 2.

KONIGLICH
UNIVERS.
ZVHALLE





ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELETISSIMO
V I R O
DNO. SAMVELI
LIBERO BARONI
DE COCCEJI,
POTENTISSIMO PRUSSORUM REGI
A CONSILIIIS STATUS ET SANCTIORIBUS,
CONSISTORII AC SUPREMÆ CURIÆ ELECTORALIS
MARCHIÆ PRÆSIDI, RERUM ECCLESIASTICARUM
DIRECTORI, ATQUE ACADEMIARUM CURA-
TORI SUPREMO,
MÆCENATI INDULGENTISSIMO

S. P. D.

DR. CHRISTIANUS FRIDERICUS GRÆVEN.



ILLUSTRISSIME VIR

CUm id agas, Potentissimi Regis auspicio, ut omnium, qui hic docent, inspicias studia, causa alleganda non sunt, cur huic dissertatiunculae auspiciatissimum Tuum nomen circumponere ausus fuerim. Dum autem gravioribus tuis, quibus pro Rege ac patria quotidie distineris, curis atque negotiis intempestiva hac interpellatione parcere merito debuissem; vereor, ne temeritatis atque audacia jure coarguar. Ast cum tanta Tua in me merita sint, quae nec depradicare satis, multo minus autem dignam pro illis gratiam rependere ullo modo possum, accedit ipsa humanitas, multis iisque minime incertis documentis jam dudum mihi perspecta ac cognita, haec animum mihi addunt, ut gratam Tibi mentem hoc qualicumque argumento declarare haud dubitaverim. Accipe igitur, Illustrissime Vir, hanc Dissertatiunculam, a Musa ^{auspicatissimam} forte excusam, benigna fronte, et ita habe, me quidem soluisse, quod debui, sed adhuc debere tamen omne, quod solui. Deum precor, ut TE, Illustrissime Domine, Regis Augustissimi delicias, Musarum statorem circum amorem, ac certissimam clientum salutem, Regi, studiis, Republica, omnibusque iis, quorum felicitas ex Tua incolumitate pendet, in Pyliam, ut Poeta loquuntur, senectam conseruet. Vale.
Dab. Trajecti ad Viadr. d. 3. Octobr. a. 1732.

DISSERTATIONIS
CONSPECTUS.

- §. I. *DE* necessitate conjugii agit.
- §. II. *Ejus definitionem suppeditat.*
- §. III. *Conjugia temporaria fieri posse demonstrat.*
- §. IV. *Divortium quid sit, declarat.*
- §. V. *Varias divortii causas recenset.*
- §. VI. *Inimicitias perpetuas ad causas divortii refert, ubi de favore matrimonii & quod non quælibet inimicitia dissolvere queant.*
- §. VII. *Inimicitias causas divortii esse demonstratur.*
- §. VIII. *Educationem, cui parentes sedulo prospicere debent, per inimicitias quam maxime corrumpi.*
- §. IX. *Non minus damnum inferri ex debiti conjugalis denegatione.*
- §. X. *Licet præstetur debitum conjugale, videndum tamen esse detrimentum procreationis sobolis tam physicum, quam morale.*
- §. XI. *Alia multa damna, ex ejusmodi conjugio inimicitiiis perpe-*

*perpetuis onerato eriri, quæ facile damna scortationis
& desertionis aut æquant, aut superant.*

§. XII. & XIII. *Quædam argumenta contraria examinan-
tur, quibus breviter respondetur.*

§. XIV. *Sententia nostra aliorum consensu confirmatur.*

§. XV. *Divortium in casu inimicitiarum, non nisi probata
gravitate fieri debere.*

§. XVI. *Ejus etiam fructus esse majores, quam quidem sepa-
rationis quoad thorum & mensam.*


§. XVII. *Conclusio.*

§. I.



Q. D. B. V.

§. I.



Oluit summum Numen, cum homines fingeret, eos esse unius ætatis, quia hoc pacto sapius ei reiteranda fuisset creatio, ut bene demonstravit magnus ille post Grotium Juris Naturæ instaurator PUFENDORF. *J. N. & G. Lib. VI.*

cap. I §. 2. Indidit ergo mortalibus, ut, si vel rationi locum non relinquat, natura tamen ferantur in alterum sexum amore, ut sibi invicem misceantur sobolemque creent. Id quidem haud facile quis ibit inficias; fuerunt autem, qui negarunt conjugium, tanquam rem moralem. Agmen ducit PLATO de *Republ. Lib. V.* τὰς γυναῖκας τῶν ἀνδρῶν πάντων πάσις εἶναι κανὰς, ἰδία δὲ μηδενὶ μηδεμίαν συνοικεῖν, καὶ τὰς παῖδας αὐ κοινὰς, καὶ μήτε γονεῖα ἐργονοῦν εὐδέναι τῶν αὐτῶν, μήτε παῖδα γονεῖα. Eadem sententia sedit ZENONI, teste LAERTIO *VII. 33.* Et habuerunt forte hi homines causas, cur
A hæc

hæc statuerint, non tam absonas, ac quidem prima specie videtur, quas hic non licet explicare. Sufficit, id non posse obtineri, quod quidem prætexerunt. *πᾶσι γὰρ* inquit PLATO, ὡς ἂν ἐντυγχάνῃ τις, ἢ ὡς ἀδελφῶν ἢ ὡς ἀδελφῆ, ἢ ὡς πατρὶ, ἢ ὡς μητρὶ ἢ ὡς υἱεὶ ἢ θυγατρὶ, ἢ τῶν ἀκρόνοις ἢ προγόνοις νομίει ἐντυγχάνειν. Omnia alia inde sequi, egregie ostendit Lipsiensium acutissimus Philosophus FRID. AUG. MULLER, von *Natur und Völker - Recht cap. XII. §. 6.* quæ quidem nolumus repetere, ne Iliada post Homerum scripsisse videamur. Temperare tamen nobis non possumus, quin ab illo dictis addamus LACTANTIUM *Divin. Instit. III. cap. XXI.* (puta Platonem contra quem ibi disputat.) *Civitas concors erit & amoris mutui constricta vinculis, si omnes omnium fuerint & mariti, & patres, & uxores, & liberi. Quæ ista confusio generis humani est? Quomodo servari caritas potest, ubi nihil certum est, quod ametur? Quis aut vir mulierem, aut mulier virum diligat, nisi habitaverint semper una? nisi devota mens & servata invicem fides individuum fecerit caritatem, quæ virtus in illa promiscua voluptate locum non habet. Item si omnes omnium liberi sint, quis amare liberos, tanquam suos, poterit, cum suos esse aut ignoret, aut dubitet? quis honorem, tanquam patri, deferet, cum, unde natus sit, nesciat? Ex quo fit, ut non tantum alienum pro patre habeat, sed etiam patrem pro alieno. Quid? quod uxor potest esse communis, filius autem non potest? quem concipi non nisi ex uno necesse est. Perit ergo matrimonii communitas, ipsa reclamante natura. Superest, ut tantummodo concordie causa uxores velint esse communes. At nulla vehementior discordiarum causa est, quam unius femine à multis maribus adpetitio. Hoc unicum insuper addimus, ipsum maris atque femi-*

feminæ coitum fore plane frustraneum, quia sine nutritione & educatione, quas uterque conjugum præstaret, periret proles, aut saltem solius matris humeris onus, quod ferre non posset, imponeretur.

§. II.

Ita vero stabilita conjugii necessitate, necesse est, ut antequam ulterius progrediamur, exponamus, quid nobis sit conjugium. Descripsit hoc Imperator in INSTIT. de Patr. Potest. §. 1. *Matrimonium est viri & mulieris conjunctio, individuum vitæ consuetudinem continens.* Suppeditat & aliam definitionem l. 1. ff. d. R. N. quæ tamen eodem redit. Si naturam matrimonii consideras: est status, quem mas & femina per pactum constituunt, ad procreandos per concubitum liberos. Demonstratione vix indiget hæc definitio, cum res ipsa loquatur. Erit tamen forte aliquibus offendiculo, quod pactum tribuerimus conjugio, sed præter causam; sunt mares sunt feminæ, hæc possunt procreare, illi generare liberos. Opus tamen est conjunctione, quam non suscipient, nisi in eam consenserint. Nonne hoc est pactum? Interim nolunt hoc admittere, de quibus causis alias dicendi erit locus. Nec omnibus ad palatum est finis conjugii. Urgent ejus loco mutuum adiutorium. Si quid video, præferunt singularem castitatem atque sanctitatem, noluntque videri, à natura moneri, ut conjugium ineant; quasi turpe esset, illud agere, quod Deus velit. Vult autem Deus, ut proles procreetur. Sed fac, illud mutuum adiutorium esse finem verum atque essentialem, ut Logicorum filii adpellant conjugii, satisfieri ei nequibit, nisi res ipsa suscipiatur. Nunc vero quæstio est,

est, num aliter mutuum adiutorium esse nequeat, quam, ubi est maris atque feminæ conjunctio? Equidem mas mari, femina feminæ mutuo potest alteram adjuvare, id est, officia administrare. Sic v. c. herus habet servum, hera ancillam, se invicem adjuvant, servus & ancilla hero & heræ serviendo, hi illorum paupertatem opibus suis adjuvando. Num vero hoc dices conjugium? Nollem tunc vices in me suscipere, cum omnes me injuriarum postularent. Et quid facimus aliud in societate? Nonne alter alteri est adiumento? Ita vero *παίδεργία* vel Sodomiam committeremus, quam tamen omnes damnamus. Aut si Viri feminas vel feminæ viros adjuvent, huc quadrent, quibus Curio Cæsarem proscripsit: *omnium mulierum vir, & omnium virorum mulier*. Et quo demum pacto prohiberi possunt steriles, eunuchi, hermaphroditi &c possunt esse alteri conjugum adiumento, haud facile tamen crediderim, illis permissurum esse conjugium, uti etiam absolutè spectata damnat jus Nat. PUFENDORF. *Lib. VI. cap. I. §. 25.* ne dicam ipsæ sacræ paginæ, cujus tamen utriusque argumenta expendere nunc non vacat.

§. III

Nec adhuc licet metam contingere, quam nobis proposuimus. Præmittendum est, conjugium esse vel perpetuum vel temporarium. Est enim pactum, hoc vero vel perpetuum vel temporarium esse potest. Non obstat, quod ipse JUSTINIANUS, matrimonium *individuum vitæ consuetudinem* dixerit; nam, quod dirimi conjugium non possit, minime hinc sequi *l. 58. ff. d. pact. l. 3. ff. d. Res. Vend. l. 9.*

l. 9. C. de Repud. & Nov. 22. c. 4. satis demonstrant
 Id tamen in conjugio præ omnibus aliis pactorum
 generibus occurrit, ut omnia alia pacta magis pos-
 sint esse temporaria, quam quidem conjugium. At-
 tamen non inepte dices, si matrimonium individuam
 vitæ consuetudinem vocas, quum homines à bru-
 tis, quorum Imperator in *pr. INSTIT. d. I. N. G. & C.*
 mentionem fecit, distinguere cupis. In pacto conju-
 gali coeunt homines, inter quos inducæ sunt rerum
 dominia, quo fit, ut nemo quid ab altero accipiat, nisi
 habeat, unde danti alia reddat. Differimus ergo à
 brutis, inter quæ nulla rerum dominia, nec quæ
 educatione opus habent, quin vix edita pabulum
 inveniunt, atque à benigna naturaiis sint ornati ar-
 mis, ut vel per se contra coeli aliasque injurias de-
 fendantur. Non item & recens nato homini; hic,
 nisi alma parentum manu foveatur, statim iterum pe-
 rit. Ita quidem consultitur infanti, si lactetur, nutrietur,
 nondum tamen sufficit. Unde enim in posterum vivet,
 si parentes ei non amplius supersint. Neesse igitur
 est, ut nanciscatur vires, quibus sibi aliquando
 adquirat, quæ ad victum sunt necessaria. Est vero
 hoc opus multorum annorum multaque cultura,
 quarum nulla melius succedit, quam quæ à pa-
 rentibus proficiscitur, iisque nemo ad id officii
 obligatur. Uni vero conjugum, dum uterque vivit,
 hoc gravissimum, educationis puta, imponere, du-
 rum est, & haud facile ex voto procedit, nisi com-
 muni opera laborant. Ergo tenentur conjuges
 non solum ad procreationem liberorum, sed
 etiam ad nutritionem, & quod maximum ad
 educationem. Ea vero cum vix post vigesimum
 A 3 homi-



hominis annum consummatur, quilibet facile videt, usque dum conjugibus non esse integrum divertere. Interea plures generantur liberi quibus idem educationis tempus debetur, labuntur anni, & succedit effoeta senectus, quo per ætatem non amplius gignere & liberos edere licet, adeoque aliud conjugium cum aliis inire nequeunt. Mallem ergo facile mihi persuadere, hos conjuges, quod eo usq; amice secum vixerint, reliquum vitæ conjunctim transigere. Debet orbis eruditus hanc demonstrationem, uti innumera alia, magno Philosopho, summo Mathematico, CHRISTIANO WOLFFIO, qui pulchre de hac re differuit in libello, *von den Gesellschaftlichen Leben der Menschen. Cap. II. S. 44.*

§. IV.

Ex dictis, quæ brevi manu adtulimus, facile patet, quam peccent illi, qui mire ludant cum conjugio, & velut pecora, quæ natura prona atque ventri obedientia finxit, hinc inde defultant, atque in diem jungantur feminæ, & mox rumpant vinculum. Interim erraveris, si putes, indolem conjugii non permittere, ut sit interdum temporarium, modo non fiat præter causam. Hoc si probe observetur, nihil monstri alit divortium, de quo ante quam per partes agamus, necesse est, ut semel videamus, quid sit Divortium. Vis verbi non potest eos latere, qui vel prima Latinæ lingvæ rudimenta posuerunt, id est, qui vel Grammaticos veteres inspexerunt. NONIVS MARCELLVS & VERRIVS FLACCUS, qui vulgo FESTUS dicitur. v. *Divortium*, docent: *Divortium esse rerum omnium separationem.* Nos quidem id arctiori sensu pro dissolutione matrimonii

monii accipimus. Est ergo, quod quidem nos sentimus, divortium: Status, quo viri ac mulieris conjugium dissolvitur, ita, ut priores conjuges, arbitrio suo relictī, majori damno supersedeant. Statum esse nemo dubitabit. Diximus deinde conjugium dissolvi. Ergo repudium huc non poterit referri, quod est inter sponsum & sponsam *l. 101. ff. d. V. S. PEROOTHUS* *Corn. Cop. p. 404.* etī in antiquis monumentis versatioribus notum est, non usque quaque illam differentiam observari, quin de sponsa divortisse *l. 191. ff. d. V. S.* quemadmodum de uxore dicatur repudiare, **SUETONIUS TRANQVILLUS** *Cæs. I. Corneliam Cinna quater consulis filiam duxit uxorem, ex qua illi mox Iulia nata est: neque ut repudiaret, compelli à Dictatore Sulla ullo modo potuit* adde *Tiber XI. Callig. XXXVI. VALER. MAXIM. Lib. II. cap. I. n. 4. Lib. VI. cap. III. n. 11. & 12.* Porro divortium dissolvit, non suspendit conjugium, unde liquet, perperam divortium adpellari sejunctionem, ut nostri loquuntur, à thoro & mensa. Dissolvuntur vir atque femina suo arbitrio relictī. Non recte ergo adpellabis divortium, cum dirimitur matrimonium morte, coptivitate vel alia contingente servitute utrius conjugum. Qua de causa has species divortio etiam opposuerunt **PAULLUS**. *l. 1. ff. d. Divort. & Repud.* & **QVINTILIANUS**. *Declam. CCCXLVII.* Majoris damni evitandi causa fit divortium. Ergo non temere ad divortium procedendum, quia est contra finem conjugii; justum tamen, quia majus damnum inde evitatur.

§. V.

Variae obtinuerunt divortii causæ (1) Adulterium, (2) Malitiosa desertio (3) Pertinax debiti conjugalis

jugalis denegatio (4) Morbus fonticus, (5) Sterilitas (6) Infidia vitæ structæ (7) Perpetua abortus procuratio, (8) Exilium perpetuum uxoris, (9) Impietas adversus Deum, (10.) Mores intolerabiles & animorum disparitas (11) Odium & inimicitia perpetuæ. De quibus pluribus disserere ferias nobis fecit IO. FRID. KÆISER. in Dissertatione pererudita de *Jure Principis Evangelici circa Divortia* Halæ 1715. habita, & si plura velis, Illustris HOFFMANNI Dissertationem: de *Dissens. Jur. in puniend. adulter. crim.* SCHROETER. de *eo quod justum est in puncto malicios. desert.* BEYER. ad *Corpzov. Consist. p. 131. sq.* CYPR. d. *Matrim. c. 11. n. 4.* STRYCK. d. *Divort. propt. infid. vit. struct.* & BRUCKNER. *Decis. matrim. ibique alleg. evolvas.*

§. VI.

Selegimus nobis ex omni copia, ultimam divortiorum speciem, propter inimicitias perpetuas breviter perspiciendam. Recte enim FULGENTIUS *Mythol. l. 1. Conjux quantum jure conjunctior, tantum est aut morum dulcedine mellea, aut felle malitiæ exica: est quippe aut perpetuale refugium, aut perenne tormentum.* Intelligimus autem illas inimicitias, quæ omnem amorem conjugalem extinguunt. Excluduntur ergo omnes rixæ amantium, quæ perbreves, fortioresque faciunt ipsum amorem. Est enim ex PLINII. *Lib. II. Epist. 2. effato, amor iniquus interdum, impotens saepe, μινπαίσιος semper.* Nec ejus census sunt inimicitia serix, quæ facile nascuntur facileque pereunt, & mox iisdem, qui modo fecerant, subit poenitentia. *l. 3. ff. d. Duort. & Repud.* Ambabus tamen manibus largimur, quæ alteri gravissimæ erunt injuriæ, alteri

alteri minoris momenti, vel etiam nullius fore. Quot enim capita, tot sensus circa bonum malumve, & vix duos reperies, qui ex omni parte conspirent. Quod alii summo tædio, alii summæ delectationi: quod huic onus Aetna gravius, idem illi levissimum. Difficillimum igitur arbitror certi aliquid constitutere, ut statim nulla habita ratione aliarum circumstantiarum dignoscere queas, an inter inimicitias majores referendum, quod alter conjugum alteri fecerit. Suspenso nato irridemus atque miramur, cum relatum legimus apud VALERIUM M. *Lib. VI. cap. III.* dimisisse uxores C. Sulpitium Gallum, quod eam capite aperto foris versatam cognoverat; Q. Antistium Verum, quod illam in publico cum quadam libertina vulgari secreto loquentem viderat; P. Sempronium Sophum, quod se ignorante ludos ausa sit spectare. Scilicet tam male memores sumus, quod vel pueri Cornelii Nepotis in præfatione versantes discere debuissimus, non eadem omnibus esse honesta atque turpia. Ostendimus igitur, expertes esse veterum aliarumque gentium, dum nihil rectum putamus, nisi quod nostris moribus conveniat. Priores ergo illos duos ut defendamus, non opus est multa conquirere, vel ipsæ rationes, quas dedisse refert VALERIVS, abunde pro ipsis loquuntur. En accipe Galli: *Lex tibi meos tantum præsent oculos, quibus formam tuam adprobes. His decoris instrumenta compara, his esto speciosa, horum te certiori crede notitie: ulterior tui conspectus supervacua irritatione accersitus, in suspitione & crimine subhæreat, necesse est.* Cujus rei tanto minor te subibit admiratio, quanto magis rem vestiariam Romanarum mulierum cognoveris. Et quid quæso injusti alit Q. Antistii Veri factum,

B qui

qui incunabilis & nutrimentis culpæ, non ipsa commotus culpa, ceteriore delicto, præbebat ultionem, ut potius caveret injuriam, quam vindicaret. Nec minus P. Sempronio Sopho vitio vertet severitatem, qui ludos theatraque Romanorum spectaverit, quæ incautis & male moratis, facile poterant esse irritamento; malorum & lubricinis. Cui hoc dubium, satisfaciatur, (nam locus hic non est pluribus differere) vel solus SVETONIUS in *August. c. XLIV.* *Fœminis ne gladiatores quidem, quos promiscue spectari, solenne olim erat, nisi ex superiore loco spectare concessit.* --- *Athletarum vero spectaculo muliebrem sexum omnem adeo submovit, ut Pontificalibus ludis pugilum par postulatum distulerit in sequentis diei matutinum tempus, edixeritque, MULIERES ANTE HORAM QUINTAM VENIRE IN THEATRUM NON PLACERE.* Adde, si placet, SECUNDUM *Lbi. VII. Epist. 24.* Et quid multis *l. 8. §. 3. C. d. Repud.* inter causas, de quibus uxori licet nuntium mittere, etiam permittitur dimittere uxorem vel circensibus, vel theatralibus ludis, vel arenarum spectaculis in ipsis locis, in quibus hæc solent celebrari, se prohibente, gaudentem. Redeamus nunc in viam, unde non intempestivis amœnitatibus admoniti discessimus. Concedimus ergo quoque, tanto rariora fore divortia, quanto magis alter conjugum est moratior, didicitque injurias æquo animo ferre. Documento est Socrates, quare Cato apud PLUTARCHUM in *ejus Vita p. 347.* Socratem nulla alia de causa admirabatur, *πλὴν ὅτι γυναῖκί χαλεπή καὶ πεισὴν ἀποπλήθους χρώμενος, ἐπεικῶς καὶ πράως διεπέλεσεν.* Hinc etiam Salvator noster apud *Matth. XIX. 8.* *Ὅτι Μωσὴς πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν, ἐπέτρεψεν ὑμῖν ἀπολύσαι τὰς γυναῖκας ὑμῶν. ἀπ' ἀρχῆς δὲ ἐγένοντο ἅτα.*

§. VII.

Statuimus graves inimicitias causas esse posse divortiorum. Id ut demonstramus, nostri nunc est officii. Voluit summum Numen conjugium; idem tamen etiam est, quod vult, ut hominibus bene sit. Cum vero jam ipsum conjugium tot mala secum habeat conjuncta, qualia sunt onus educationis: pluribus addici infortuniis, quorum tantum pars alioquin pressisset, si sine conjuge sine liberis mansisset: laxiores curæ, quæ nunc simul pro conjuge proque liberis subeundæ: impediri belli tempore, ne fuga sibi consulat: inprimis, si fœminam spectes, cum fœtum in utero gerit, & quæ sunt alia mille matrimonii onera. Quem ergo credis, temere his malis se obnoxium esse redditurum, nisi aliis bonis illa emolliantur. Nemo dubitabit maximum esse idem velle atque idem nolle, amiceque inter se invicem conspirare. Contra ubi perpetuum est animorum dissidium, quid gravius conjugio cogitari potest? Jam vel ex hoc liquido adparet, esse tale conjugium contra voluntatem Dei initum, eundemque nolle, ut maneant in conjugio, quia perrexerint in lædendis seipsis. Quæ vero major læsio in hac vita occurrere potest, quam æqui animi jactura. Illum vero si nequeunt conservare, tenentur, ne homo homini sit carnifex, dissolvere matrimonium circumspectiusque in posterum agere, ut non tam forma, opibus, honoribus ad matrimonium trahantur, quam convenientia animorum, quantum fieri potest maxima. Fateor: res est majoris indaginis, neque tam facilis, quam quidem nostri homines sibi persvadent. Largissimos tamen fructus ferent labo-

ris sui, quod in id impenderint, & divortia ipsa ideo erunt longe rarissima. Exemplo sunt prisca tempora, ubi erat antiqua morum simplicitas. Quis ante Mosis tempora inter Ebræos à conjugè divertebat? mutatis autem moribus nimisque longe ab antiqua pietate recedentibus Judæis, permisit Moses Judæis certis legibus divortium, ut constat ex *Matth. XIX. 8.* Et quis ante Sp. Carbilii Rugæ tempora, quem primum apud Romanos uxori sterilitatis causa nuncium misisse testes sunt PLUTARCHUS in *Romul. p. 39.* & in *Num. p. 77.* DIONYS. HALICARNASS. *Lib. II.* GELL. *N. A. IV. Cap. III.* & *XVII. cap. XXI.* VALER. M. *Lib. II. cap. I. n. 4.* inter illam gentem divortia audivit. Tantum temporis spatium ergo ab urbe condita intercessit, cum secundum calculum PLVTARCHI anno 230. GELLII 519. VALERII M. 520. Immo fere sexcentesimo ut vult TERTULLIANUS. *d. Monogam. cap. IX.* & in *Apologet. cap. VI.* illud divortium demum fuerit factum.

§. VIII.

Videamus nunc alias rationes. Supra significavimus, officio nondum satisfactum esse à conjugibus, cum liberos procreant, sed & cum educant. Debent à teneris adfuescere, fugere vitium, sectari virtutem. Vtramque tum facit paginam, si exempla habeant ante oculos posita, ad quæ suos mores componant. *Melius homines* inquit PLINIUS in *Paneg. c. XLV. exemplis docentur, quæ imprimis hoc in se boni habent, quod adprobant, quæ præcipiunt, fieri posse.* Nunc vero dic, sodes, annon omnia alia velint horum parentum exempla. Inculcent suis patientiam, amorem, benevolentiam erga alios homines, & ipsi ferunt

ferunt foventque quotidianas lites, irascuntur, & quæ sunt alia scelera. Si nos audias, dissociantur, si plane non morari in una sede queant, nec habebunt pueri puellæque, unde hoc vitii trahant. Equidem non dubito fore, qui hanc rationem levem & nullius pretii æstimabunt; sed errant & nesciunt, quantum salutis hujus non solum, sed etiam alterius ævi in educatione situm sit.

§. IX.

His vero demum, quæ diximus, maximum robur accedet, postquam demonstraverimus, illas conjugum inimicitias prorsus tollere conjugii finem. Dissident inter se. Jam vero hoc non est amoris sed potius, ut cum eo, quod amamus, uniamur. Averfantur ergo se, quid nunc eos monebit, ut coeant, officumque conjugale alter alteri præstet. Vidit hoc jam olim acutissimus harum rerum arbiter SAM. PUFENDORF. *d. J. N. & G. Lib. VI. cap. I. §. 22.*

§. X.

Sed fac etiam, concubitum hos conjuges exercere, femina ex odio in virum *in ipsis visceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis exstinguet & parricidium faciet, antequam pariat*, ut loquitur MINUC. FEL. in *Octav. Cap. XXX.* ne scilicet maritus sui partem, maximum conjugii præmium, videat superstitem. Et si hoc quoque non fiat, sanitas infantis, quod nutrit femina, periclitabitur, cum ejus lacte nutritur, quæ summa ira effervescit. Nec expedit, alii feminæ istud lactandi munus demandare. vide PLUTARCHUM *περι παιδων αγωγης cap. V.* GELLIUM *Lib. XII. cap. 1.* aliosque. Ne dicam multa
alia

alia mala experturos esse liberos; oderunt enim maritum, eorum auctorem. Odisse vero est, non solum ipsum objectum, sed etiam quidquid ad objectum inivisum pertinet.

§. XI.

Qui non plane obtusum gerit pectus, facile sibi persuaderi patietur, ex hoc ultimo longe majus provenire malum. Natura hos monebit, ut cum altero sexu conjungantur, idque tanto magis, quanto sæpius ea dulcedine frui. Quid ergo sequitur? adulterium, sæpe etiam veneficium, cædes, & quæ sunt ejus generis alia, ut usus, magister egregius, sæpe docuit. Id est, quod sentit ORIGENES, unus ex Patribus primitivæ ecclesiæ, apud LAUNOIIUM d. *Regia in Matrim. potest. P. II. Art. II. c. 11. Item qui abstinet se à muliere sua, frequenter facit eam moechari, non adimplens aviditatem ipsius forsitan spe irrationalis sanctitatis & castitatis ductus, & forsitan iste amplius reprehensionis dignus, quam ille, qui, quantum ad se facit eam moechari, dimittens, non quidem fornicantem, in veneficio autem vel in homicidio, vel quibuscunque aliis gravioribus peccatis inventam.*

§. XII.

Ecquid ergo nunc differunt inimicitæ ab adulterio? Objiciant ex *Matth. XIX. 9. λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι ὃς ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτῆς, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείαι, καὶ γαμήσι ἄλλοις, μιχᾶται.* add. *cap. V. v. 32.* Satis vero adhuc demonstratum fuit, inimicitias inrer conjuges parere adulterium. Pari ergo passu ambulant, pare mque habent rationem, adulteriū & gravior conjugum discordia. Nec obstat ideo tamē adulterium ipsū nondum esse factum, etsi fieri ex inimicitias queat, adeo-

adeoque propter adulterium non posse dirimi matrimonium. Respondeo, actus completos & incompletos, ut in Philosophorum scholis audiunt, si hi ceteris paribus certissime sint infecuturi, esse unius ejusdemque census, præsertim in foro Dei, qui omnia futura novit. Expectare vero, dum peccatum sit perpetratum, sero fit & cujusvis est, ut illud in primo suo ortu suffocet. Ergo vel ex hoc nobis videmur nihil injusti, quodque contra Scripturam Sacram sit, postulare, dum divortium propter graviores inimicitias defendamus, immo hoc pacto majora scelera, quæ supra enumeravimus, evitare velim9.

§. XIII.

Quibus tamen forte illa nimis longe petita videantur, opponemus alias copias, ut arbitramur, non levis armaturæ. Non est, ut eas nos ipsi conscribamus. In unum jam coactas invenies apud JO. FRID. KEYSER. *Disput. d. Jur. Princ. Evang. circa divort. cap. II. §. 9. sqq.* & pluribus in *Abgenæthigten Gegenbeweis* &c. it. in *Fundamentis Doctrinæ de Divortiis oppositis Diss. Witteberg.* &c. ubi docte de more docuit, plus sub voce *πρωβίαις* intelligendum esse, quam solum adulterium, in quo etiam sibi multos habet consentientes Ecclesiæ Doctorum, ut ibi est videre. Nos eo majori fiducia huc referre possumus inimicitias, cum jam ipsi ij, qui a partibus contrariis stant, malitiosam desertionem admittant, atque adeo ipsi jam laxius verba Christi interpretentur. Immo si opus sit, ex hac ipsa malitiosa desertione videretur argumentum pro moribus intolerabilibus sumi posse, uti quidem existimat Celeb. THOMASIVS *Jurispr. Div. Lib. III. cap. III.*

III.



III. §. 70. Accedit neminem conjugum alterum deferendum esse, nisi jam à se invicem dissideant, atque adeo ex ipsa malitiosa defertione, quam pro fundamento divortii agnoscunt, novum lucramur robur defertioni nostræ, quam molimur. Sed ut diximus, nolumus Tibi, Lector, nauseam creare crambe roties jam cocta rursus adposita. Adi, quæ indicavimus, & plus satis de veritate convictus recedes.

§. XIV.

Huc usque pugnavimus rationibus, nec desunt, si cupis, auctoritates. Priores partes hac in re tenet MILTON. in peculiari libello *de Divortii*, cujus argumenta denuo proposuit PUFENDORF. d. *J. N. & G. Lib. VI. cap. 1. §. 24.* Et habemus quoque ex veteribus consentientem MARCULPHUM à sæpius laudato KAYSER. excitatum *Lib. II. Formul. cap. XIX.* Idcirco quia inter illum & conjugem suam, non caritas secundum Deum, sed discordia regunt, & ob hoc conversari minime possunt, placuit utriusque voluntatibus, ut se à consortio separare deberent, quod ita & fecerunt. Propterea & has epistolas uno tempore conscriptas inter se fieri adfirmare decreverunt, ut quidquid unusquisque ex ipsis de semet ipso facere voluerit, absque repetitione socii sui liberam habeat potestatem, & nullam requisitionem, neque ipsius in caput, neque ulla qualibet persona exinde habere pertimescat. Quod qui contra parem suam vel contra alium quemcumque hominem ullam repetitionem facere conatus sit, partibus illius contra cui litem intulerit, solus tantos componat, & sua repetitio nullum obtineat effectum; sed unusquisque ex ipsis per hunc libellum reputati, eorum manibus roboratum, omnique tempore quieti valeant residere & Cap. XXX. Dum & inter illum & conjugem suam, non caritas secundum Deum - - - decreverunt,

verunt, ut unusquisque ex ipsis, sive ad servitium Dei in monasteriis, aut copula matrimonii sociare se voluerit, licentiam habeat, & nullam requisitionem ex hoc de parte proximi sui habere non debeat. adde SIRACID. XXV. 23. sqq. HENR. HAHN de amicabili divortio §. II. TOB. JAC. REINHARDT. d. Conjuge bona gratia divertente. §. 6. Sed quid externa testimonia conquirimus, cum domi habeamus omni exceptione majus. Communicavit hoc Illustrissimus Dominus SAM. de COCCEJI in *Jur. Controv. tit. d. divort. & repud. Qu. V.* ubi inclytæ Facultates Viadrinæ, tam Theologica quam Juridica, unanimi consensu pro dissolutione matrimonii, perpetuis inimicitis onerati, responderunt. Notanda præcipue sunt verba;

„ „ „ „ „ Nicht weniger wird aus derselben Ration und Ursache das dritte Exempel bindig inferiret, wenn ein so unversöhnlicher Widerwillen / Haß oder Feindschaft sich entsponnen, daß ein Theil keines weges dem andern mehr beywohnen will; folgendts dadurch gleichfalls das Band der oft gewesenen Conjunction, worin die Ehe bestehet, durchschnitten ist. Und ob nun schon scheint, daß diese Exception den Worten nach in der Heil. Schrift nicht ausgedruckt seye; so ist sie dennoch nicht nur auf denselben Grund, wie die beyde vorige gebauet, und also hier auch idem jus, ubi eadem ratio, sondern sie auch unter der Zwenten absonderlich begriffen, und eine wahre Gattung einer vorsehlichen Desertion, als welche nicht bestehet in desertione domus, vel mutatione loci, sondern in desertione debiti conjugalis.

Weswegen dann auch von den Theologis und JCris zwey Gattungen desertionis gemacht werden, als eine visibilis, wann einer animo deferendi davon gehet, und eine invisibilis, wann er zwar an dem Ort, oder auch in derselben Wohnung bleibt, aber nichts destoweniger aus einer unauslöschlichen

C

Aver-

Aversion oder unversöhnlichen Haß den festen Vorsatz gefaßt, dem EheGatten niemahls mehr beizuwohnen. Und ist beydes eine desertio, quæ fit animo in perpetuum deserendæ & dissolvendæ illius conjunctionis, worin das Wesen der Ehe besteht.

Und scheint diese Ursache, unsers Ermessens, fast die wichtigste zu seyn; weil wann ein Theil sich gar davon macht, zwischen denen von einander entfernten nichts niedriges zu besorgen ist, ausser den Reizungen des Fleisches, und daher entstehenden Sünden; dahingegen, wann sie zusammen bleiben, aus obgemeldter Aversion oder Exulceration der Gemüther, nicht anders kan, als traurige, unglückliche Svites oder doch eine ärgerliche unchristliche Lebens-Art erwartet werden.

Zu dessen Bestätigung dann sehr merklich ist, daß auch in Canonischen Rechten selbst, da das eheliche Band, als ein geistliches Vinculum & Sacramentum, für ganz und gar unauslößlich gehalten wird, so, daß auch die darin so genandte Sponsalia de præsenti welche ein wahres Vinculum conjugale sind, und deswegen eo jure auch durch einen begangenen Ehebruch, quoad vinculum, nicht geschieden werden können, dennoch wegen eines unversöhnlichen Widerwillens oder Feindschafft solviret werden mögen; Massen von solchen Sponsalibus puris & inter ipsos sponfos initis, welches Sponsalia de præsenti sind, dieser Inhalt zu lesen ist in c. 2. X. de Sponsal. & Matrim.

Hi, qui de matrimonio contrahendo pure & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & omnibus modis inducendi, ut prætitam fidem observent. Si autem se ad invicem admittere noluerint, ne forte deterius inde contingat, ut talem scil. ducat, quam odio habet, videtur, quod instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & post ea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari :

Und ebener maßen in c. 17. X. eod. tit. von solchen, die durch einen Ehd. Schwur sich verbunden hatten, es also lautet:

Mulier,

Mulier, cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, cum actiones difficiles soleant exitus frequenter habere.

Wie aus diesen angezogen. Dertern die Evangelische Dd. solches behaupten :

Paul. Cypr. d. Sponsal. c. 13. §. 32.

Richter. part. I. dec. 8. n. 9. &c.

Carpz. Jurispr. Consist. lib. 2. dec. 176. n. 8. seqq.

Wann dann nun auch bekant ist, daß Sponsalia de presenti ein wahres Matrimonium, und in beyden Rechten zum Grunde gesetzt werde, quod nuptias consensus faciat, non concubitus, nicht nur in jure civili.

l. 20. ff. d. R. J. l. 32. ff. d. Don. int. vir. & uxor.

sondern auch in Jure Canonico vielfältig :

c. 1. c. 3. c. 4. c. 5. c. 6. c. 9. & pass. caus. 27. quest. 2.

Und dann alle Theologi & Jcti ohne Unterscheid dahin einstimmen, daß solche sponsalia de presenti propter irreconciliabilem inimicitiam vel aversionem geschieden werden können, wie solches auch bezeuget :

Harpr. ad tit. instit. d. nupt. in rubr. n. 138.

So können wir nicht finden, wie das Göttliche Geboth wieder die divortia ex hac causa angezogen werden könn: weil ja die Göttliche Zusammenfügung der ersten Menschen nicht durch deren concubitus geschähe, sondern durch die erste Gesellung; da gesagt wird, daß Gott das erschaffene Weib zu dem Mann gebracht habe: Maassen auch in dem Stande der Unschuld er sie nicht erkannt hat. Und ist dennoch auffser Zweifel, wann die Divortia aus dieser Ursache, Krafft des Göttlichen Geboths, verboten sind, daß als dann auch die Sponsalia de presenti ex hac causa nicht können getrennet werden. Westwegen dann auch die bewehrteste Lehrer ohne Unterscheid, wann zuvorst mit allem Ernst die Ehe-Leute sich wiederumb zu vergleichen ermahnet, und alle gürtliche Wege die Gemüther zu vereinigen gesucht worden, aber dazu keine Hoffnung sich erzeiget, ex hac causa die Divortia zu lassen :

C 1

Wesemb.

Wesenb. ff. tit. d. Divort. n. 9. Schurf. Consl. 42. n. 3.
Harpr. d. l. n. 139. Vultej. Juvipr. Rom. lib. 1. c. 21. p. 125.
S. communes & in not. ad. n. 18. vers. Hic autem contrari-
am &c. ubi allegat Theol. & Jctos.

Wie dann insgemein in den Evangelischen Facultäten dar-
nach gesprochen zu werden pflegt. Zu geschweigen, daß alle diese
Exempel unter der Exception Christi, *ei μή έωι πορνεια* nicht
nur paritate rationis sondern auch vi verborum begriffen zu
seyn, die gelehrteste Auslegere lehren und beweisen, daß das
Wort *πορνεια* nicht allein hurerey, sondern alle Actus begreiffe,
die wieder die Eigenschaft einer Ehe committiret, und also die-
selbe dadurch violiret würde:

Vid. Selden. de Jur. N. & G. Lib. 7. c. 12. in fin. & latissi-
me in Uxor. Ebr. lib. 3. c. 23. per tot. Franc. Connan. doctiss.
Jctus Gallus & Pontificius in comment. ad Jus Civ. L. 8. c. 12.
n. 5.

Welches dann insonderheit bestätigt der *Locus ad Hebr. 13.*
v. 4. da *πορνεια* und eine unbefleckte Ehe directo und ohne
Mittel einander opponiret werden, und daraus also solget, daß
alles, wodurch die Ehe in ihrer Natur violiret oder beflecket
wird, *πορνεια* sey. Daß aber die oberzehlte Exempel, und sonder-
lich das letzte solche Actus seyn, wodurch das eigentliche Band
der Ehe, nemlich *coniunctio animorum & corporum*, ab-
gebrochen, und also die Ehe violiret werde, ist mit mehrern
schon ausgeführet.

Endlich ist auch solche Scheidung dem Geboth Christi umb
so viel weniger entgegen, weil derselbe allein de privata sepa-
ratione nicht aber von der Obrigkeit redet; Gestalten ihme
auch keine Frage von der Gewalt eines Ehe-Mannes vorgetra-
gen, und darüber alleine gehandelt worden: Ob es genug sey,
daß derselbe einen Scheide-Brieff gebe? Und dann unbekant
ist, in responsione non aliud intelligi, quam quod est
in quæstione, donec aliud probetur. So wird auch in
Göttlicher Schrift, wann schon an alle Menschen insgemein
ein Verboth erget, doch die höchste Obrigkeit damit nicht ge-
meinet; Als wie wann allen Menschen Kindern verbothen ist
zu

zu tödten, und Blut zu vergießen, dennoch die Obrigkeit zu solchem Ende das Schwert trägt, nicht jure hominum, sondern jure Dei, nicht als Menschen, sondern als Gottes Diener und dessen Vicarii auf der Erden. Welchennach dann auch das Verboth, daß der Mensch die Ehe nicht scheiden soll, die Obrigkeit und deren Amt nicht trifft, wann sie, um einen größern Ubel vorzubeugen, und Aergernissen, Sünden und gefährliche Folgen abzuwehren, die Gemüther, so einander nicht leiden können, sich separiren lässet: indem in ihren Mächten nicht ist, zur Einigkeit, worinn die Ehe bestehet, sie zu zwingen. Und diese Aversion und Wiederwillen der Gemüther nun, ist die Ursache, worauf jezo die Sache ankommt. Ob nun schon eingewendet werden möchte, daß diese Aversion nicht sey an Seiten der Ehe-Gattin, als welche ihrer Seits vielmehr alles angewendet, umb ihres Ehe-Gatten Affection zugewinnen; So sind doch disfalls zwo Fragen wohl zu unterscheiden; Als (1.) ob aus der Ursache eines unversöhnlichen Wiederwillens und Aversion daß Band der Ehe geschieden werde? Und (2.) welches Theil hieran Ursache sey? Daß die Ehe dadurch geschieden werde, mithin an beyden Theilen dieselbe davon entbunden seyen, ist bisher ausgeführt; Und weil ein solches Band relatio inter duos ist, folget ex natura relatorum nothwendig, wann daselbe durch des einen Theils immortellen Wiederwillen gelöst ist, beyde Theile davon befreuet seyn; welches auch die übrige Exempel malitiosæ desertionis & adulterii an den Tag legen, wodurch an beyden Seiten die Ehe getrennet wird. Welchennach dann die andere Frage, wer Schuld an dem Wiederwillen sey, keine Aenderung an der Ehe-Scheidung macht, sondern nur dahin gehet, was für Satisfaction dem unschuldigen Theile gebühre, wes wegen dann ein Theil die Ursache auf das andere zuverwelken sich sehr zu bemühen pflegt:

arg. l. 7. in fin. C. de Divort.

Umb die im übrigen entstehende nachtheilige Effectus zu vermeiden.

Aus welchem allen dann wir jedoch mit nachmahligem Vorbehalt aller andern, der Meinung sind, weil sich eine solche unheilbare

heilbare Gramschafft, Widerwill und Aversion an Seiten des N. N. wieder seine Ehe-Gattin erhoben, und daß keine Hoffnung sey, solche in ein Eheliches Vertrauen und Vereinigung der Gemüther wieder zu verknüpfen, daraus, den Nechten nach, ermessen wird, weil es bereits so lange gewehret, und *perfeverantia apparuerit esse animi judicium.*

Per l. 3. ff. d. Divort. l. 64. in fin. d. donat. int. vir. & uxor.

Daß diese Ursache zur Ehe-Scheidung zulänglich, und so wohl fürträglicher/ als sicherer seye/ dieselbe zuzulassen/ als sie beide in ein unbeliebiges und verhaßtes Ehe-Band zu zwingen. Was nun ferner die Erlaubniß wieder zu heyrathen anlangt; weil wann kein Ehe-Band mehr, sondern durch dessen Scheidung die einzige Hinderung zu einer andern Ehe zuschreiten aus dem Wege geräumet ist, folgendes die von der Natur dem Menschen verliehene Macht und Freyheit sich zu verheyrathen wieder offen ist, derselben auch sodann kein Necht mehr entgegen stehet; Und zwar in Confistoriis üblich ist, daß dem schuldigen Theil nicht gleich anderweite Heyrathung heimgelassen wird; solches aber bloß etwas pœnales ist, so remittiret werden kan, auch in dem Fall da einer von dem Alter und der Constitution ist, daß er sich nicht enthalten kan, remittiret zu werden pfeget; Solchenfalls auch sündlicher und gefährlicher seyn würde, ihn davon abzuhalten; Über dem allen aber nicht erwiesen ist, daß er an dieser entstandenen Mißthelligkeit alleine oder mehr, als sie, schuld haben solle;

Als vermeinen wir unsers ganz unvorgreiflichen Orths, wann die Ehe entweder aus Königl. Dispensation, oder durch einen Confistorial-Spruch geschieden werde, ihm so dann sich anderweitig zu verehelichen, nicht zu verwehren sey. B. N. W.

§. XV.

Nihil ergo obstat, quo minus propter graviores inimicitias liceat divertere, modo non fiat temere & κατὰ πάσιν ἀτίαν, uti olim perperam sentiebant in Judæis Hilleliani, sed gravi de causa. Sic, cum hodie non amplius privata autoritate suscipiantur

antur divortia, sed demum causa cognita & divor-
tio per consistorium decreto v. *ord. Consist. March.* Ju-
dicis quoque est, ut ne licentia inordinata divortio-
rum invaleat, sed ipse potius omnem moveat lapi-
dem, ut conjuges inimici inter se invicem redeant
in gratiam. Quod si in cassum cedat, melius vide-
tur, si conjugii vinculum, quo hactenus constricti
fuerunt, plane solvatur.


§. XVI.

Plane ergo dissolvendum esse tale conjugium,
non sine causa adserimus, quam à thoro & men-
sa, ut moribus nostris fieri solet, separando istos
male focios conjuges CARPZOV. *Jurispr. Consist.*
Lib. II. def. 207. Equidem si hæc separatio talis esset,
qualis illa, quam famosus Cupido cum Psyche insti-
tuit, cum apud APULEJUM, magnum veteris Ju-
ris thesaurum. *Metam. L. V. p. 106. Edit. Pric.* eam di-
mittit, *Tu quidem, inquit, ob istud tam dirum faci-*
nus, confestim thoro meo divorce, tibi que res tuas habeto;
nihil esset, quod desideraremus. Quoniam vero cum
illa separatione, ut sit nostris moribus, perstat nexus
conjugii, vereor ut inde quidquam emolumenti ve-
niat. Ea quidem ex parte est aliquid, si spes est,
fore, ut ita sejuncti aliquando reconcilientur, vel
tædio vitæ solitariæ majori cum amore rursus uni-
antur. Vid. STRYCK. U. M. *ad Tit. d. Divort. & Re-*
pud. §. XLIV. & KAYSER. sæpius laudata *Dissert. cap.*
III. §. 21. Cujus si non habeatur ratio, nullo modo
nostrum adjicimus calculum, certissime persuasi,
parti læsæ nihil cedere commodi. Iniiit, si voluntatis
divinæ memor fuit, sobolis procreandæ causâ, nunc
dissocia-



diffociatur ab altero conjugum, nec licet, sine adulterii nota pariter ac poena, ut alii jungatur conubio. Premitur ergo iisdem incommodis, quibus obnoxius fuit, quando eos idem tectum, eadem mensa idemque thorum jungeret, & quæ sunt alia, quorum magnam nubem in scenam produxit JO. GEORG. WAGNER. *d. Divort. & Convict. Conjugal. separat. §. 54. sqq.* Perplacent inprimis quæ §. 58. dicit: *Separatio quoque remedium esse debet redintegrandi amoris & matrimonii. Speratur enim, deservituram iram: remissuram suspicionem: redituram fiduciam & conjunctionis cupidinem. Sed haud raro datur, quod exoptabant subseffores labefactati matrimonii & amicitie & quæ hujus fursuris sunt. Quando igitur per separationis sententiam horum liberioribus indulgetur conciliabulis, pessima quæque contra matrimonium decernuntur, & loco speratæ reconciliationis, dissidiis & pertinaciæ partis nocentis imprudenter favetur. Causam hanc esse reor, propter quam vix centesimæ nuptiæ, separatione diremptæ, iterum coalescunt.* Subductis ergo breviter rationibus demum post illa sententiarum divortia statui-mus, perperam inter divortia referri separationem à thoro & mensa, excepto illo, quod supra monui-mus. Consentit nobiscum Jctus nostrorum tem-porum facile princeps GERARD. NOODT. *Comm. ad Lib. XXIV. Tit. 2. d. Divort. & repud. p. 521.* & PU-FENDORF. *d. J. N. & G. Lib. VI. cap. I. §. 22.* Dein-de videtur, inimicitias graviorese esse legitimam divortiorum causam, atque Judici has causas cognoscenti incumbere, ut omnibus probe ponderatis discordiæ causis, tale conjugium inimicitiiis perpetuis oneratum dissolvat, & partibus disjunctis, pro re-rum circumstantiis, aliud matrimonium inire liceat.

§. XVII.

Hæc sunt, quæ de inimicitiarum ad faciendum divortium gravitate breviter differere voluimus. Ea enim, quæ ex Jure Civili & Canonico de instituendo divortii processu aliàs solent moneri, jamjam à præstantissimis Jctis sub examen revocata, vid. doctam SPENERI *Dissert. d. jur. Repud. inprim. ex inplacab. od. caus.* h. l. repetere & actum agere noluimus. Tu, Lector, æquibonique consulas, quæ adhuc protulimus, & secundum nos da sententiam, si argumenta nostra alicujus ponderis invenies; Quodsi errasse nos deprehenderit, cogites tecum, turpe haud quaquam esse, hallucinari in eo, in quo non paucos lapsos esse, plane compertum est.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Frankfurt, a. O., Diss., 1732-33

ULB Halle
004 372 239



3

f

5b.

vD18



19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



DE
PORTIO
 ER INIMI-
 S GRA-
 DRES
 JURIS PRINCIPIIS
 DISSERIT
 ERICUS GRÆVEN, D.
 A CONSILIIS AUL. ET
 OF. EXTRAORD.

E. 28 num. 29.
 1732, 2
 2/1



ad VIADRUM,
 SCHREY, Bibliop.
 3 2.

